



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispv. CIV. Cur dicatur Deus omnipotentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

potest Deus praua agere; si velit. Nihil enim prohibet conditionalem esse veram, cuius antecedens & consequens est impossibile. Sicut si dicatur, si homo est asinus, habet quatuor pedes. Vel ut intelligatur, quod Deus potest aliqua agere, quæ nunc praua videntur, quæ tamen si ageret, bona essent. Velloquitur secundum communem opinionem gentilium qui homines dicebant transferri in Deos, ut Iovem, vel Mercurium.

Ad tertium dicendum, quod Dei omnipotentia ostenditur maxime in parcendo & miserendo: quia per hoc ostenditur Deum habere summam potestatem, quod libere peccata dimittit. Eius enim, qui superioris legi adstringitur, non est libere peccata condonare. Vel quia parcendo hominibus & miserendo perducit eos ad participationem infiniti boni, qui est ultimus effectus diuinæ virtutis. Vel quia; (ut supra dictum est) effectus diuinæ misericordiae est fundamentum omnium diuinorum operum. Nihil enim debetur alicui, nisi propter id quod est datum ei à Deo non debitum. In hoc autem maxime diuina omnipotentia manifestatur, quod ad ipsum pertinet i. instit. omnium bonorum.

Ad quartum dicendum, quod possibile absolutum non dicitur neque secundum causas superiores, neque secundum causas inferiores, sed secundum seipsum. Possibile vero, quod dicitur secundum aliquam potentiam, nominatur possibile secundum proximam causam. Unde ea, quæ immediate nata sunt fieri à Deo solo, ut creare, iustificare, & huiusmodi, dicuntur possible secundum causam superiorem. Quæ autem nata sunt fieri à causis inferioribus, dicuntur possible secundum causas inferiores. Nam secundum conditionem causæ proximæ, effectus habet contingentiam, vel necessitatem, ut supra dictum est. In hoc autem reputatur stulta mundi sapientia; quia ea, quæ sunt impossibilia naturæ, etiam Deo, impossibilia iudicabat. Et sic patet, quod omnipotentia Dei impossibilitatem & necessitatem à rebus non excludit.

Notatio circa articulum.

Conclusio articuli est affirmans, & est de fide, ut ex multis Scripturæ testimoniis constat. Doctrina totius articuli, verissima est, & subtilis, ita tamē perspicua, ut non indigeat explanatione, eam vero in disput. seq. referemus, & rationibus confirmabimus. Solum notandum est ex Caietano circa solutionem 4. cum S. Thom. dicit stultam esse sapientiam huius mundi, quæ impossibilia naturæ, putat esse impossibilia Deo; non loqui de philosophia secundum se; illa enim non docet falsum; sed de philosophia, qua abutuntur Philosophi, & temerarie iudicant de rebus diuinis, quas sua naturali philosophia non assequuntur.

Status controuersie, cap. 1.

Quid senserit Gabriel & Scotus, cap. 2.

Opinio Scoti, cap. 3.

Verior sententia, cap. 4.

Quomodo omnipotentia versetur circa non ens, cap. 5.

Neque relationem omnipotentia, neque aliquam aliam ad creaturas esse realem in Deo, cap. 6.

CAPVT I.

Status controuersie.

Omnia iussu Catholicis indubitatum est, Deum esse omnipotentem, id enim Scriptura palam pronuntiat. Quid vero circa Dei omnipotentiam senserint Abailardus, & Ioannes Wiclef, disput. 105. cap. 3. dicemus. Dubitant nihilominus aliqui, an ratione naturali demonstrari possit, Deum esse omnipotentem. Nam *Status in 1. d. 42. q. 1. & Gabriel eadem d. qu. 1. a. 1. & 2.* asserunt, solum demonstrari posse potentiam primæ causæ, quæ possit proxime per se ipsam, vel remote cōcurrente cum secundis causis omnia producere: at vero potentiam primæ causæ, quæ possit per se ipsam facere omnia, quæ potest per secundas causas & alias contradictionem non implicat, quo pacto Theologi de omnipotentia loquuntur, non posse ratione naturali demonstrari, sed sola fide diuina credi. Quia licet ratione naturali euidenter constet, esse primam causam rerum omnium, quæ virtutem in se habeat omnium causarum, non tamen est ita manifestum, eam non egere cōcursu secundarum causarum ad operandum.

Verum tamen ex infinitate potentie, quam sic euidenter colligitur, eam ita esse efficacem, ut omnem effectum virtutis suæ, & per se ipsam possit attingere, & in subiecto aut extra producere in subiecto, aut extra natura suæ esse possit. Nam si virtus est infinita in genere potentie, nullus effectus, nec modus operandi eam poterit subterfugere, si possibilis est. Quemadmodum, quia scientia Dei in genere scientiæ, & cognitionis infinita est, nullum scibile ipsam latere potest: hæc sola differentia est, quod scibile necessario comparatur scientiæ Dei, illa enim necessario fertur in id omne, quod scire potest: at vero non quilibet res necessario refertur ad potentiam Dei, ut ab ea producat, sed ut produci possit: eo quod potentia Dei non operatur, nisi secundum beneplacitum liberum voluntatis eius: si tamen non implicat contradictionem, aliquid per se esse, aut alteri esse, potentia Dei, quia infinita est, subiectum esse debet, ut producat. Quod si secundum probabiliorem opinionem non potest operatio vitalis cognitionis, aut appetitionis à solo Deo produci, ideo est, quia essentialiter pendet à secunda causa, & continue ab ea postulat conseruari, ut eam reddat cognoscentem, seu appetentem, & ita implicat contradictionem inesse subiecto, quod reddat intelligens, aut appetens, nisi ab eo conseruetur: at vero quæ ita pendet à secunda causa, ut sine illius conseruatione manere possint, ab omnipotentia Dei sine conseruatione secundæ causæ poterunt produci, & conseruari. Denique quicquid non implicat contra-

ditionem absque dubio infinita potentia sub se debet completi. Recte igitur ex infinitate potentie Dei ratio omnipotentiae deducitur.

Verum enim vero, cum potentia dicatur relate ad ea, quae potest, & ideo omnipotentia vocetur, quia potest omnia; videndum est, quae sint illa omnia, respectu quorum dicitur omnipotentia, an sint possibilis, quae secundum se possibilis sunt, aut quae ab alia potentia fieri possunt, aut denique sint possibilis fieri ab ipsa potentia Dei.

CAPVT II.

Quid senserit Gabriel & Scotus.

Gabriel in 1. d. 43. q. 2. docet potentiam Dei vocari omnipotentiam, quia potest omnia possibilis. Vocat autem possibilis, non quia ex se antiquam referantur ad ipsam omnipotentiam possibilis sint, sed quatenus cum ea comparantur. Nam possibile dicitur, quod a potentia fieri potest. Opponitur enim esse simul potest, & possibile, prout est possibile: eo quod mutuo inter se referantur. Censet autem, nullum esse absurdum, si omnipotentia per possibile, & possibile per omnipotentiam definiatur, atque in eorum definitionibus circulus fiat: neque enim circulus inutilis est, cum unum relatum per aliud, & contra definitur: veluti cum pater dicitur, qui habet filium, & filius, qui habet patrem.

Hunc modum definiendi, & explicandi omnipotentiam refellit S. Thom. in hoc art. quia hoc modo committitur visum in definitione omnipotentiae, quod circulum appellant. Perinde enim est dicere Deus est omnipotens, quia potest omnia possibilis, ac si diceretur, quia potest facere omnia quae potest facere, vel quia potest facere omnia, quae ab eo fieri possunt: id quod iure optimo S. Doctor putat absurdum.

Potest deinde ex doctrina Arist. 5. Metaphor. cap. 17. impugnari, ostendens enim, quo pacto quaedam dicuntur referri ad aliud, quia alia prius ad ipsa referuntur a quibus denominationem accipiunt; ita inquit, mensurabile, scibile, & intelligibile, eo quod aliud ad illud dicitur: hoc est, ideo hoc omnia relate dicuntur ad aliud, quia prius ad ea alia dicuntur. Subdit rationem his verbis: Nam intelligibile significat, quod eius est intellectus: non est autem intellectus ad illud, cuius intellectus est, idem enim profecto his dictum esset: quasi dicat ideo vocatur aliquid intelligibile, quia circa illud versari potest intellectus: intellectus autem non refertur ad intelligibile, ut intelligibile quia diceretur etiam referri ad id, cuius est intellectus, & sic idem bis diceretur: hoc est fieret repetitio inutilis, cum definitum in definitione ipsa repeteretur.

Nonnulli sic exponunt, non est intellectus ad ad subiectum, cuius est, quia idem bis diceretur, hoc est, referretur, & ad obiectum, & ad subiectum. Interpretatio tamen haec non quadrat contextui; nam ibi probat Arist. quomodo intelligibile ex eo dicatur ad intellectum quia intellectus prius ad ipsum referri dicitur. Probat autem intellectum prius referri ad obiectum, quam obiectum sit intelligibile, quia si ad intelligibile referretur cum intelligibile sic definiatur, Cuius est intellectus, referri diceretur intellectus; & id cuius est intellectus & ita fieret nugatoria quaedam repetitio: ergo id, cuius est intellectus non est subiectum, sed obiectum sub denominatione intelligibilis.

Prosequitur idem alio exemplo hoc modo.

Similiter & visus, cuiusdam est visus non cuius est visus (ut si verum est hoc dicere) sed ad colorem, vel ad aliquid aliud tale: ille vero modo idem bis diceretur, quod visus est, cuius est visus. Hoc est, visus, non dicitur referri ad id cuius est visus, nempe ad visibile, sic enim definitur visibile, sicut intelligibile. Quare illis verbis, Cuius est visus, non intelligit Arist. subiectum visus, ut falso interpretantur Commentator & Alexander Aphrodisaeus: quorundam enim disputans de his relatiuis, diceret non referri ad obiectum, & subiectum, quia idem bis, hoc est, ad duo referretur: hoc enim non esset absurdum, neque aliquid ad rem facere videretur: sed intelligit Arist. illis verbis obiectum sub denominatione visibilis, & ita ait, Visus dicitur ad aliquid, non ad id, cuius est visus (hoc est, non ad visibile ut visibile, sic enim idem bis diceretur per repetitionem eiusdem definiti in definitione, ut explicatum est) Sed ad colorem, vel quid aliud.

Addit, Vel quid aliud, ut lucem etiam comprehendat, & in probet, visibile, & intelligibile dici ad visum, aut ad intellectum, quia visus, & intellectus referuntur ad res, quae denominationes visibilis, aut intelligibilis accipiunt. Adiecit autem per parenthesis, (& si verum est hoc dicere) quia vere dicimus, visus est ad visibile, eo quod est ad colorem, qui dicitur visibilis. Sed non recte per visibile definitur, neque ad illud, prout visibile, refertur propter rationem assignatam.

Ex hac doctrina Arist. recte colligitur, potentiam Dei non referri ad possibile sub hac denominatione, sed ad aliquid prius, primum quia (ut ait Arist.) idem bis diceretur: id quod etiam notauit S. Th. in hoc art. perinde enim esset dicere, omnipotentia est, quae potest omnia possibilis, ac si diceretur, potest omnia, quae possunt fieri ab ipsa omnipotentia. Possibile enim sub hac denominatione relatiua, ita appellatur, quia ab aliqua potentia fieri potest. Manifestum autem est omnipotentiam non esse definiendam per possibile fieri ab alia potentia creata: ergo per possibile fieri à se ipsa in qua definitione committeretur repetitio illa nugatoria, quam diximus.

Præterea idem probatur ratione Aristotelis. Nam si possibile sub hac denominatione ideo dicitur, quia illius est potentia, sicut visibile, quia illius est visus; & intelligibile, quia eius est intellectus: ergo prius potentia dicitur ad suum obiectum, sicut visus, & intellectus ad suum, quam obiectum denominationem habeat à potentia: quare potentia non dicitur ex habitudine ad possibile sub hac denominatione, sicut nec visus ex ordine ad visibile, sed ad aliquid prius. Ut n. ostendimus infra disp. 159. cap. 6. hoc genus relationum, quae dicuntur non mutuae, referuntur ad terminum absolutum, priusquam terminus denominationem relationem consequatur, ut visibilis, intelligibilis, & possibilis. An vero idem asserendum sit de relatiuis mutuis, nempe nunquam ad terminum relatum, prout relatum, referri, sed ad absolutum, quia alias esset negatoria repetitio, ibidem etiam dicemus.

CAPVT III.

Opinio Scoti.

Scotus in 1. d. 43. q. vnic. docet, potentiam Dei bisariam considerari posse: primum, ut est in se absoluta, quia re ipsa non refertur ad creaturas, ut c. 6. dicemus: atque hoc modo non est omnipotentia

Cur etiam visus non dicitur ad id cuius est visus.

Componit. Aporeta.

Non esse absurdum, visus referri simul ad obiectum & subiectum.

Visus dicitur esse ad visibile quia est ad colorem.

Impugnatur tertia ratio.

Prima consi-
deratio po-
tentia.

2 Considera-
tio.

80

Non negat
Scotus reduci
posse in eam
potentiam Dei.

9
Defenditur
Scotus à fal-
sa explicat.
sua sententia.

Impugnatur
Scotus vera
ratione.

Res ideo cog-
noscuntur,
quia sunt.

potentia per respectum ad creaturas possibles, undeque illa dicatur possibles. Deinde potentia Dei concipitur à nobis relate ad id, quod potest: & hoc pacto inquit, dici omnipotentiam respectu creaturarum possibilem. Sed non incidit in circulum illum superius impugnatum; quia censet, creaturas, ad quas dicitur referri omnipotentiam, esse possibles non ab ipsa potentia Dei, sed ab intellectu quatenus illas cognoscit, & subesse quodam diminuto producit. Hanc enim notitiam putat in Deo priorem esse nostro modo intelligendi, imo etiam natura sua, quam potentiam, cum inter attributa omnia distinctionem ex natura rei constituat: ex eius enim sententia, ut vidimus disp. 103. cap. 3. omnipotentia Dei est eius voluntas, quam precedit scientia. Idemque docere posset, etiam si existimaret intellectum quoque ad potentiam pertinere, sicut voluntatem: quia solum practica notitia cum voluntate esset potentia: res autem habent esse possibles in eius sententia ex scientia Dei speculativa, quæ etiam prior est, quam practica. Sed pro maiori huius sententiæ declaratione nota, Scotum non negare denominationem possibilem, quæ rebus ipsis tribuitur, provenire ex ipsa potentia Dei, quatenus ad res ipsa dicitur referri: sed cum ait res esse possibles ab intellectu diuino cognoscente, non à potentia, intelligit possibilem (ut aiunt) pro materiali, & fundamentaliter, non formaliter, hoc est ab intellectu diuino res habere, quod subsint diuinæ omnipotentis, & possint esse, atque ut ea denominationem possibilem accipiantur.

Verum hæc sententia multis visa est temeraria, quod concedat res omnes vi intellectus diuini habere illud esse diminutum ab æterno, id est aliquam existentiam. Frustra tamen in hunc sensum, quem nunquam Scotus somniauit ipsum impugnare, ut notauimus supra disp. 70. c. 2. quoniam ipse non putauit illud esse diminutum produci ab æterno productione aliqua reali, quæ aliquo esse existentia terminaretur: sed appellauit esse diminutum illud esse obiectuum rerum, quod habent in intellectu ut ipsius intellectus: hæc enim sunt præsentia intellectui, non solum quæ absentia sunt, verum etiam quæ non existunt. Nullus autem negabit, res omnes possibles intellectui diuino esse obiectiue præsentia: ergo neque negabit, eas habere aliquod esse diminutum per intellectum: nam quo pacto illud esse vocaret Scotus diminutum, si esset verum esse existentia: & re ipsa extra causas?

Nihilominus alia ratione hæc opinio Scoti, quod ad præsentem attinet controuersiam, mihi non probatur: quia sicut res non dicuntur fore, aut esse talis natura, quia cognoscuntur à Deo quin potius ideo sciuntur futura, aut talis esse natura, quia sunt futura: & talis natura: sic etiam res non sunt possibles, quia cognoscuntur, sed ideo cognoscuntur, quia sunt possibles: hoc est, ideo cognoscuntur posse esse, & nullam implicare contradictionem, qui reuera possunt esse. Quemadmodum etiam 1. 2. q. 7. a. 6. dicemus, aliqua peccata non ideo esse mala, quia cognoscuntur esse mala, aut quia prohibita sunt etiam à Deo, sed potius contra: intellectus enim speculatiuus non facit, sed supponit ens, & obiectum: quod cognoscit. Quare si alias Deus esset, etiam si non cognosceret, per locum tamen (ut aiunt) intrinsecum, crea-

turæ essent possibles, hoc est, ex se ipsis non implicaret contradictionem, talis, aut talis natura esse, possetque in tempore produci, si alio modo quam cognitione, & voluntate Deus esset omnipotens: prius igitur est nostro modo intelligendi, rem esse possibilem, hoc est, ex se non implicare contradictionem, quam intelligi ab intellectu diuino.

CAPVT IV.

Vterior sententia.

Superest vera sententia, quam paucis S. Th. hoc artic. tradidit: res nimirum, quæ sunt obiecta diuinæ omnipotentia, non ab intellectu, nec ab ipsa omnipotentia, quatenus refertur ad ipsas, habere quod sint possibles, & obiecta ipsius: sed esse obiecta omnipotentia, prout ex se ipsis non implicant contradictionem ex terminis. Quare diuina potentia non dicitur omnipotentia, quia possit facere omnia possibilia fieri: esset enim inutilis repetitio: neque quia possit omnia facere, quæ cognoscit, & primam rationem obiecti velimus assignare, quia antequam intelligat Deus, iam est obiectum suæ omnipotentia: sed quia potest facere, & producere quicquid ex se non implicat contradictionem, ut sit: quo quidem modo & assignatur proprium, & proximum obiectum omnipotentia, & tollitur omnis inutilis repetitio. Prius igitur est, res ex se non implicare contradictionem, quam Deum ad ipsas actum referri, & omnipotentem. Sicut prius est esse colorem, quam oculum ad colorem referri, & quam color dicitur visibilis.

In hanc sententiam ex parte consentit Henricus q. 6. q. 3. cuius doctrina accurate notanda est: multum hæc namque illustrabit sententiam Doctoris Angelici. Aduertit ergo dupliciter posse Deum considerari potestem, primum in se ipso; deinde relate ad aliud: hoc est, posse actiuum ipsius Dei primum intelligi, quatenus in se secundum est, & virtutem operandi habet ex se ipso; deinde quatenus iam actum refertur, ut potens ad obiectum. Eadem proportionem posse passiuum creaturarum bifariam quoque cogitari potest: vno modo, ut in se ipso absolute abique vlio respectu, quod nihil aliud est quam rem aliquam non implicare contradictionem ut sit, & vocari potest potentia logica: altero modo, ut actum refertur ad potentiam Dei sub denominatione possibilem, quatenus dicitur ab ea posse produci. Hæc igitur quatuor ita inter se comparantur (inquit Henricus) ut posse actiuum Dei in se prius sit, quia est perfectio primi entis, quod super natura nihil aliud supponit, nec postulat secum, ut sit; ac proinde sua natura absolutum est ab omni priori & comitanti, ut cap. 6. probabitur: alioqui non esset summum, & primum ens. Postea sequitur ordine rationis logica: posse passiuum creaturarum in se: prius enim Deus in se est perfectum ens, quam homo non implicet contradictionem, ut sit: & per locum intrinsecum recte loquitur, si non esset Deus implicaret contradictionem, hominem esse: non tamen contra, si implicaret contradictionem, hominem esse, implicaret etiam Deum esse ut eodem c. probabitur. Et licet tenus recte quidem Henricus.

Addit tamen deinde, ex illo posse passiuo creaturarum absoluto, & in se, hoc est ex eo, quod creatura

tura in se non implicat contradictionem, proxime oriri posse passuum earundem actu relatum ad potentiam Dei, hoc est, quod dicantur possibiles produci à potentia Dei: & tandem ex hoc posse passuum relato nasci posse actuum in Deo actu etiam relatum ad creaturas: in quo sane eius sententia corrigenda videtur iuxta id, quod ipse docuit quod lib. 8. q. 3. Quoniam sicut color dicitur visibilis à visu, & ens intelligibile ab intellectu, eadem ratione possibile, aut producibile à potentia productionis denominatur. Prius igitur est, actuum potentiam actu referri ad obiectum, quod possibile, aut producibile determinatur, quam ipsum obiectum talem appellationem sortiri. Quare licet ordine assignato ab Henrico non incideremus in repetitione illi inutile, nihilominus quia ordo ille non recte assignatur ut probauimus, alio modo philosophari necesse est ita tamē ut circulus ille tollatur.

Dicimus ergo cum eodem Henrico quod lib. 11. q. 3. quod 3. statim atque consideratur posse passuum rerum absolutum, & in se, hoc est, res non implicare contradictionem, ut sint, iam esse sufficiens obiectum absolutum, ut actu terminet respectum diuinae omnipotentiae: quemadmodum dixit Arist. respectum visus ad colorem terminari. Quocirca statim intelligimus posse actuum Dei sub relatione, hoc est, statim consideramus, omnipotentiam Dei sub respectu potentiae actu referri ad res, quatenus in se, non implicat contradictionem. Postremo tandem ex eo, quod Dei potentia hoc modo referatur ad res, & ad posse passuum earum absolutum, confurgit in illis posse passuum relatum, hoc est, denominatio illa relata possibili, vel producibili: sic ut dixit Arist. ex eo, quod visus ad colorem terminatur, colorem visibilem denominari, & eodem modo res intelligibiles ab intellectu.

Est tamen obseruandum discrimen: nam color dicitur visibilis ex eo, quod visus suapte natura refertur ad illum: at vero res non dicuntur possibiles, quia Dei potentia re ipsa & natura sua refertur ad ipsas, refertur enim extrinseca tantum denominatione, sicut etiam res ipsae referuntur ad potentiam. Sed inter utramque denominationem eundem seruamus ordinem, quem in creaturis videmus inter potentiam actuum, & denominationem obiecti, ut inter visum, & visibile. Fieri namque potest, ut alicui conueniat primo extrinseca aliqua denominatio, ex variis rerum circumstantiis desumpta, & ex illo in aliud secundarie derinetur, ut 1. 2. q. 20. a. 2. videmus: & quidem deriuatio illa fieri potest secundum idem nomen, sicut malitia, quae primarie denominat actum exteriorum, quia primarie prohibitus est, secundarie denominat interiorum, ut ibidem dicitur. Potest etiam fieri deriuatio secundum diuersa nomina, sicut ex denominatione potentiae actuum derinatur denominatio passuum: id vero, quod de impossibili docuit Henricus, sequenti cap. explicabitur.

Ex hac doctrina primo tollitur nugatoria illa repetitio, quae committi posset in definitione omnipotentiae, si definiretur per possibile: atque hac ratione constituitur proprium obiectum illius, quod assignauit S. Th. in hoc art. itaque sic definitur omnipotentiam: Est virtus quae potest producere, quicquid non implicat contradictionem, ut sit, quo pacto relatio omnipotentiae ad posse passuum absolutum creaturarum refertur.

Secundo ex eadem doctrina explicandus est Ansel. in libro de casu diabolici. 12. cum ait, ideo esse aliquid possibile, quia ab alio fieri potest; nam si de possibili absolute loquatur, negare non potest, prius esse in se possibile, non potentia physica, sed logica, ut haecenus diximus, & infra disp. 18. c. 2. explicabimus, quam dicatur ab aliqua potentia fieri posse. Si vero intelligat de possibili relato, verissimum est, nihil possibile dici, nisi quia ab alio fieri potest.

Tertio obseruandum est, nomine eius, quod non implicat contradictionem, & est obiectum omnipotentiae, essentiam Dei, aut aliquam illius personam non comprehendere, sed id solum, quod extra Deum esse, contradictionem non implicat. Quia ratione disp. 165. ostendimus, tres personas diuinas aequales esse omnipotentiae, quia aequaliter possunt producere creaturas, tamen non conueniat illis aequaliter producere personam.

CAPVT V.

Quomodo omnipotentia versetur circa non ens.

EX S. Th. in art. solum habemus, illud non esse obiectum omnipotentiae, quod implicat in se ipso contradictionem, hoc est, implicat in se simul esse, & non esse, quare nunquam excludit non ens à ratione obiecti omnipotentiae, nisi quatenus implicat contradictionem: ita enim ipse philosophatur. Cum Deus in se contineat omnem perfectionem entis, quicquid potest habere entis ratione, continetur sub possibili absoluto, quod respicit diuinam omnipotentiam, sicut proprium obiectum: nihil autem opponitur rationi eius, nisi non ens: ergo illud opponitur obiecto omnipotentiae quod implicat in se contradictionem, hoc est, implicat in se esse, & non esse. Ex ratione tamen S. Th. videtur sequi, omne non ens, quomodocunque sit, non esse obiectum diuinæ omnipotentiae: cum enim ex eo, quod Deus habeat in se omnem perfectionem entis, sequatur, omne illud, quod habet rationem entis, sub omnipotentiam cadere; colligi etiam videtur, omne, quod non est, non esse obiectum illius vll'o modo: & ita in secundo contra gent. c. 2. 2. ratione secunda dixit, omnipotentiam Dei referri ad omnia, quae rationi entis non repugnant: ex quo inferri, non ens non esse obiectum omnipotentiae, quia opponitur rationi entis: id quod in hoc etiam art. inlinuauerat.

Sed in 1. d. 4. 2. q. 2. artic. 2. & de potentia q. 1. a. 3. asserit, omne illud, quod potest habere rationem entis, vel non entis, esse obiectum diuinæ omnipotentiae, & id solum esse extra illam, quod implicat contradictionem, hoc est, simul esse, & non esse. Ex quibus non satis constat, utrum non ens sit obiectum diuinæ omnipotentiae, an non.

Caiet. in hoc art. docet, omnipotentiam Dei versari circa ens, & non ens, diuerso tamen modo; circa ens, producendo illud; circa non ens, non producendo, aut cessando à productione. Caterum quamuis hoc verum sit, non satis explicat id, quod dixit S. Th. in hoc art. & 2. contra Gent. nempe, non ens non cadere sub Dei omnipotentiam.

Quare obseruanda est doctrina Ferrar. 2. contra Gent. c. 10. 2. quae perspicue Doctoris sancti sententiam illustrat. Notat igitur, non ens dupliciter dici posse, vno modo quasi essentialiter, pro eo videlicet, quod nullam essentiam habet, sed potius in se ipso

Explicatur
Anselm.

15

Per id quod
non implicat
contradictionem
sola creatura
intelligitur.

Redditur
quasi dubia
ex variis li.
S. Th.

16

Caiet.

Ferrar.

Circa non ens
quod essentiam
non habet
nullo modo
veratur
omnipotentia.

se ipso contradictionem implicat, & circa hoc non ens omnipotentia nullo modo versatur, nec per productionem, nec per destructionem: huiusmodi est chimæra, quam nec Deus producere potest, nec per destructionis termino habere, & hoc genus non entis opponitur enti, quod est obiectum diuinæ omnipotentiae, seu possibili absoluto. De hoc loquutus fuit S. Th. in hoc art. & 2. contra Gnt. cap. illo 27. quare de non ente non potest facere illud. tamen si S. Th. in hoc art. modestæ gratia asserat, melius dici, non ens non potest fieri à Deo, Notat autem Henricus quod libro 8. q. 3. non ens, seu id, quod implicat contradictionem, non posse fieri à Deo non ob defectum potentiae in ipso Deo, sed potius ob abundantiam potentiae; ut ita verum sit dicere, Deus potenter non potest facere id, quod implicat contradictionem.

Altero modo dicitur non ens, quasi denominatione, ex sola negatione existentiae, cum tamen aliqui essentiam dicatur habere, hoc est, non implicet ex se contradictionem. Hoc modo rosa, vel homo non existens, dicitur non ens; & huiusmodi est obiectum diuinæ omnipotentiae, non per productionem, sed per negationem actionis: quia non solum omnipotentia Dei producit hominem, verum etiam destruit illum, & corrumpit; cum vero Ferrarien anihilationem rei, appellavit corruptionem, latiori significatione videtur loquutus. De hoc genere non entis intelligendus est S. Th. locis citatis in 1. & de potentia, cum ait, illud non cadere sub omnipotentia Dei, quod non potest habere rationem entis, vel non entis: hoc autem est, quod simul implicat contradictionem, scilicet, implicat in se esse, & non esse. Quod vero potest aut esse, aut non esse, hoc est existere, aut non existere, est obiectum diuinæ omnipotentiae, ut sit vel non sit eo modo, ut explicatum est.

Ceterum duo notanda sunt. Primum quidem, Dei omnipotentiam quodammodo versari circa ens, & non ens; sicut visus circa visibile, & inuisibile; circa lucem & tenebras: quodammodo etiam non versari. Nam si non ens sumatur priori illo modo, illud respicit omnipotentiam, sicut visus tenebras, non per actum positivum, nec per destructionem & annihilationem, sicut versatur circa non ens posteriori modo: sed quia sicut visus dicitur esse tenebrarum, quoniam circa illas est in visu privatio visionis, ut in proprio subiecto, cum non sit privatio visionis circa sonum, & silentium; sic etiam omnipotentia refertur ad non ens priori illo modo quia circa non ens est negatio actus in omnipotentia Dei, ut in proprio subiecto, cum non ens priori modo directe opponatur obiecto omnipotentiae: si vero sumatur non ens posteriori modo, aliter refertur ad illud omnipotentia quam visus ad tenebras; cuius oppositum immerito docuit Caiet. in hoc art. Nam visus non versatur circa tenebras, tanquam circa obiectum suum, sed velut circa oppositum directe suo obiecto, circa quod sequitur in eo negatio operationis, ut in proprio subiecto. At omnipotentia respicit non ens posteriori modo, tanquam obiectum proprium factum ab ipsa, quia omnipotentia ita facit rem non esse, subtrahendo actionem suam conservationis, & destruendo, sicut facit rem esse, eam producendo.

Deinde notandum est ex Henrico, quodlib. 6. qua-

stione 3. impossibile absolutum in se prius esse, quam sit in Deo negatio potentiae ad iuxta absolute, & in se. Putat enim, & merito, ex eo, quod res in se absolute non est possibilis, hoc est, ex eo quod implicat contradictionem, provenire, ut potentia Dei dicatur, illud facere non posse: ex qua negatione potentiae in Deo res ipsa rursus denominatur impossibilis relative: nec oppositum docuit Henricus quodlib. 8. questione 3. ut ei imputat Scotus in 1. distinctione 43. questione unica; ibi enim solum asserit, aliquid esse impossibile, quia non potest à Deo fieri: loquitur autem de impossibili relativo ad potentiam actiuam; in quo sensu verissimum docet. At vero in quodlib. 6. de impossibili absolute sermonem habet, de quo recte dixit, prius ex se implicare contradictionem, quam in Deo sit aliquid impossibile actiuum, hoc est, aliqua negatio potentiae.

In hanc sententiam cum videatur Scotus consensisse in 1. d. 43. q. unica, tandem docet, impossibile in rebus principative (ut ipse loquitur) originem habere ex intellectu Dei quoniam huiusmodi impossibile contingit inter diversas essentias, quæ in se unam coalescere non possunt, ut quod homo sit equus: & quia ex intellectu Dei essentiae rerum habent esse possibiles, cum producantur in illo esse intelligibili, quod ipse impellat diminutum, ideo ex intellectu diuino originem aliquam videtur habere impossibile, quod est inter duas formas. Ceterum cum iam probatum sit c. 3. contra eundem Scotum, res non esse possibiles ab intellectu diuino, eadem ratione dicendum est, impossibile nullam originem ex intellectu diuino habere, sed omne impossibile ex se ipso contradictionem implicare, ob quam non est obiectum omnipotentiae Dei.

CAPVT VI.

Neque relationem omnipotentia, neque aliquam aliam ad creaturas, esse realem in Deo.

NVllam relationem realem ex tempore Deo aduenire, ostensum est supra questione 13. articulo 7. non solum ex sententia S. Th. sed omnium etiam Theologorum, adhuc Nominalium, & Durandi, quibus opposita sententia à recentioribus immerito tribuitur. Sed quia Deus ad creaturas varie refertur ab eterno, & de eternis relationibus in præsentia dicendum est. Inter has vero relationes quædam libere Deo conveniunt: qualis est relatio scientiæ visionis, & voluntatis effectus. Quocirca has non esse relationes reales, eodæ argumento probari debet, quo disp. 78. c. 2. monstrauimus, nullum esse actum volendi in Deo liberum, quia ita ipsi libere inlit, ut possit non inesse: idem enim absurdum utrobique sequitur, si dicamus relationes reales, aut actum aliquem reale voluntatis intrinsicum Deo libere convenire. Quare, autem hæ relationes ita sunt æternæ, ut non possint mutari, nec in tempore incipere, aliter quæstione 14. articulo 15. Aliæ vero relationes æternæ ad creaturas de Deo necessario dicuntur: qualis est relatio ideæ, scientiæ simplicis intellectus, omnipotentia, imo etiam verbi: hoc enim præter relationem realem, qua respicit præteritum, refertur etiam ad creaturas, quarum dicitur verbum, non modo possibiles, sed etiam futuras.

Circa non ens
id est, sine ex-
istentia, ver-
satur omni-
potentia Dei.

18

Ferrari.

Explicatur
mens S. Th.Omni potentia
aliquomodo
refertur ad
non ens primo
modo sum-
ptum.

19

Caiet.

vintra disputat. 143. & 144. ostendimus. Quamuis autem futuras libere respiciat, ad possibiles tamē necessario refertur. De his igitur omnibus relationibus æternis, & necessarijs superest, ut videamus, an sint reales, hoc est, ipsi Deo intrinsece inherentes, ita ut suapte natura non sit Deus absolutus, & ad se, sed ad creaturas re ipsa referatur.

Res sane omnino extra controversiam est inter Scholasticos Scriptores, qui nemine dissentiente affirmant, nullam in Deo esse relationem ex natura rei intrinsecam ad creaturas, sed solum rationis. Verum contra recentiores aliquos, qui aucti sunt oppositum opinari, auctoritate & ratione comprobanda est. Nonnulli igitur asserunt, præter tres relationes personales, quibus diuine personarum mutuo referuntur, esse etiam in Deo respectus ad creaturas, non solum ratione nostra, sed re ipsa ei inherentes, & intrinsecos: cuiusmodi existimant esse relationes æternas, & necessarias omnipotentis, idæ, scientiæ simplicis intelligentiæ, & verbi.

Explicant vero suam sententiam hoc modo. In creaturis sunt relationes aliquæ, quæ cum sint reales, non appellantur secundum esse, sed secundum dici; nec sunt in prædicamento relationis quia sunt de essentia alicuius absoluti, ut relatio cognitionis ad rem cognitam: sed dicuntur transcendentes, quia omnia transcendunt prædicamenta, nec postulant necessario terminum actu existentem; & hæc non dicuntur propriæ relationes reales. Aliæ vero sunt relationes secundum esse, quæ propriæ dicuntur relationes reales, & ponuntur in prædicamento; nec alicui absoluto sunt essentielles; sed accidentarie adueniunt fundamentis, & subiectis: postulantque terminum actu existentem; ut paternitas, & similitudo. Eodem modo in Deo potest distingui duplex genus relationum realium: quædam enim sunt de essentia ipsius naturæ diuinæ, nec postulant terminum actu existentem: ut relationes, quæ conueniunt attributis; & ideo sunt veluti relationes secundum dici, & transcendentales vocari possent. licet re ipsa Deo insint, & sint ipse Deus. Aliæ vero sunt similes prædicamentalis, quales sunt personales, quia sine illis essentia diuina essentialiter perfecta intelligitur. Ita hi Doctores exponunt suam sententiam.

Ceterum qua alia ratione probent illas reales relationes, quas ipsi vocant transcendentales. Deo inesse, ego non video, nisi quia omnipotentia ut omnipotētia est, necessario refertur ad creaturas & per ordinem ad illas eam definimus: idemque de scientia, & idæa dicendum est: cumque nullum sequatur absurdum: non est cur Deo eas relationes denegemus. Adducuntur etiam in hanc sententiam, tunc ut defendant, ut ex vi visionis essentia diuinæ videatur aliquas creaturas propter respectum, quem habet ad illas: tum etiam, ut doceant, verbum diuinum procedere per cognitionem creaturarum possibiliū, tanquam per se pertinentium ad ipsius productionem, eo quod procedi per eo cognitionem omnipotentia, ut omnipotentia est.

Verum, ut supra dixi, absque fundamento ita sunt opinati. Primum quia nullum Scholasticorum pro se habent: deinde, quia plerique antiquiores, & grauioribus oppositum plane asserunt. Postremo quia ratione manifesta possunt coniungi.

Vaquez, in 1. part. Tom. I.

gi. Primo sane nullus est, qui ita docuerit. Nam quod Greg. Arimin. in 1. d. 30. qu. 3. conclusione 3. dixit, Deum ab æterno referri ad creaturam nondum existentem, quia (ut ipse) est causatiuus, & præscius, nihil fauet prædictæ sententiæ: eodem enim modo conclusione 4. asserit. Deum referri realiter ex tempore ad creaturam; & tamen, ut notauimus supra q. 13. art. 7. nec ipse, nec Nominales, qui eodem modo loquuntur intelligunt de relatione reali, quæ sit intrinseca ipsi Deo, sed, quæ ab extrinseco aliquo reali denominationem sortitur.

Secundo contra prædictam opinionem docent grauiissimi Theologi, nullam in Deo esse realem relationem ad creaturas, non solum ex tempore, sed neque ab æterno. Sic docuit S. Thom. supra q. 13. art. 7. & Caiet. ibidem §. Quoad quantum, & idem sanctus Doctor. 2. contra Gent. cap. 11. & ibi Ferrar. §. Henric. Circa istam, & sequentibus, Henricus quodlibet 9. q. 1. Scotus in 1. dist. 30. §. Ad secundam questionem, Capreolus q. 1. art. 11. conclus. 3. & ad 1. Gregorij contra eandem concl. & art. 3. conclusione tertia ad 3. Gregorij contra eandem, De 4. Hippalen. a 1. conclusione tertia, si cum quinta conferatur, & articulo 4. ad primum argumentum Gregorij contra conclusionem. Sed forsitan interpretaberis hos Doctores, ut loquantur solum de relationibus prædicamentalis, aut quæ prædicamentalis respondent, non tamen de relationibus, quæ sunt similes transcendentalibus, quas aliqui vocant secundum dici, licet sint ex natura rei. Verum hæc interpretatio locum habere non potest: quia omnes diserte affirmant, non solum in Deo non esse relationem realem ad creaturam, sed etiam omnem relationem Deo conuenientem ad creaturam esse rationis: loquuntur expresse de relationibus potentia, & scientia, quæ Deo necessario conueniunt.

Præterea S. Thom. expresse ait, ea dumtaxat ratione Deum referri ad creaturas, quia creaturæ referuntur ad ipsum, sicut scribile: idæo solum refertur ad scientiam, quia scientia refertur ad ipsum: quod de sola relatione rationis intelligit, & nullo modo ex natura rei. Præterea nullus hactenus ausus est, in verbo Dei cedere, respectu plusquam rationis ad creaturas, etiam possibiles, ut videbimus infra disputat. 143. & 144. nec S. Thom. 2. contra Gent. cap. 10. concedit in Deo relationem plusquam rationis ad creaturas, ut notauimus disput. 102. cap. 1.

Tertia manifesta ratione opposita sententia refutatur. Omnis vero, quæ de relationibus secundum dici, & secundum esse docet, de quibus latius dicemus infra disp. 173. cap. 2. vnicum argumentum, quod Scotus paucis indicat loco citato, nobis sufficiat: quod est huiusmodi. Omnis natura, quæ re ipsa ad aliam refertur, ita est cum illa connexa, eamque secum postulat eo modo, quo ad illam refertur, ut sine illa esse, contradictionem implicet: quare æque necessario utraque debet esse per locum intrinsecum ablata vna, & aliam auferri necesse est. Quod si relatio idem omnino est, quod res ipsa, & natura, in qua est, ut contingit in Deo, in quo omnis relatio est ipse Deus, suapte natura, res illa secundum totum esse postulat terminum, & sine illo esse non potest; sicut nec ipsa relatio: quæ omnia certa consequentia inferuntur. Deus autem, ut sit, nullam creaturam etiam possibilem suapte natura postulat, nec

N n n

vlla

vlla est æqualis necessitatis cum ipso, nec aliqua ablata tollitur Deus per locum intrinsecum: ergo ad nullam reipsa refertur. Porro Deum non postulare vllam creaturam possibilem vt ipse sit, manifestum est: quoniam vt Deus sit nihil refert simiam esse posse talis figuræ, & proprietatis. Id quod deinde clarius demonstratur. Quoniam magis necessarium est, Deum esse, cum sit primus ens, & à seipso infinitum quam posse esse creaturam: creatura enim possibilis supponit Deum, vt cap. 4. dicebamus, ita vt verum sit: quia Deus est, nō implicat contradictionem esse creaturam, non tamē contra: atqui propter quod vnumquodq; est tale, illud est magis tale: ergo Deus, qui est primus ens, est magis necessarius, quam sit possibilis creatura. Id quod doctrina Arist. 4. met. cap. 4. tex. 18. confirmatur, cum inquit: *ipsum magis, & minus inest rerum naturis*: quo fit, vt inter veritates vna sit maior, quam alia. Quis autem negabit maiorem esse veritatem, dicere, Deum esse possibilem, quam dicere, hominem possibilem esse: Hanc etiam doctrinam Arist. secutus B. Th. supra q. 2. art. 3. vt ostendat esse Deum, quarta via sic procedit. In rebus invenitur aliquid magis & minus bonum, & verum, & nobile: est igitur aliquid quod est verissimum; ac proinde maxime ens: nam quæ sunt maxime vera sunt maxime entia, vt traditur 2. metaphys. textu 4. hoc autem dicimus esse Deum. Porro maior veritas cum minori non potest connexionem necessariam habere ex natura rei; alioqui æquales essent, ergo Deum esse, est veritas absoluta à creaturis. Postremo denique id magis declaratur hoc modo: per locum intrinsecum non sequitur, si nō esset possibilis simia, non esset Deus in rerum natura; si enim non recte colligitur, non est possibilis simia, ergo nō est possibilis homo, vt cōpertū est; multo minus sequitur, ergo nō est possibilis deus: cum deus sit primus & supremus ens, summe necessarius, & radix omnis necessitatis, & possibilitatis.

Confirmatur
ex Aristot. &
S. Thom.

Confirmatur
per 10.

Responsa re-
centiorum
impugnatur.
27

Prima ratio.

Secunda
ratio.

Respondent nonnulli, supposito quod simia non sit possibilis, recte colligi per locum intrinsecum hominem etiam, & Deum non esse possibilem: quia si non esset possibilis simia, Deus non esset omnipotens, ac proinde nec esset deus, quare nec homo, nec alia creatura possibilis esset. Huic tamen solutioni obstant manifestæ rationes.

Primum quia vt Deus in seipso sit omnipotens, non postulat hanc vel illam naturam creari posse, sed talis virtutis debet esse in seipso, vt si aliqua creatura non implicet contradictionem, eam producere possit. Non posse autem, producere, quæ implicat contradictionem, nihil admittit Deo perfectionis, & omnipotentia. Quare si aliqua creatura ex his, quæ fieri possunt, implicaret contradictionem, imo etiam si nulla esset possibilis, deus in seipso esset æqualis perfectionis atq; modo est. Hanc putō esse naturalem demonstrationem, quæ contraria sententia manifeste refellitur.

Tum etiam suppositione illa facta, nempe si homo non esset possibilis, posset Deus omne non implicans contradictionem: ergo esset omnipotens: nam omnipotentia superius definita, nihil aliud est, quam potentia eorum, quæ non implicat contradictionem. Cum vero supponitur aliquid implicare contradictionem, nihil contra Dei omnipotentiam supponitur: nam contra omnipotentiam solum esset, si aliquid nō implicans contradictionem, sub illam non caderet: id enim quod impli-

ARTIC. IV.

cat contradictionem, hoc ipso extra omnipotentiam est. Frustra autem aliquis diceret omnipotentiam dependere ab ijs, quæ modo non implicant contradictionem: omnipotentia enim ex se solum respicit id, quod non implicat contradictionem, siue hoc, siue illud sit.

Ad hæc, magis falsum est dicere, Deus non est, quam dicere, hominem non esse possibilem: sicut contra magis verum est dicere, Deum esse, quam hominem esse possibilem. Nam, vt dixit Arist. 1. 4. Metaph. tex. 18 inter falsa, & quæ contradictionem implicant, vnum est magis falsum, quam aliud. Magis enim (inquit) falsum est dicere, duo sunt mille; quam dicere, duo sunt quinque; cum tamen vtrumque falsum & impossibile sit. Quod si necessaria, & mutua esset connexio, & relatio inter Deum, & creaturas, æque falsum esset dicere, Deum non esse, & creaturas non esse posibles, quod est absurdum.

ARTIC. IV.

Utrum Deus possit facere quod præterita non fuerint?

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod Deus possit facere, quod præterita nō fuerint. Quod enim est impossibile per se, magis est impossibile, quam quod est impossibile per accidens. sed Deus potest facere id, quod est impossibile per se, vt æcum illuminare, vel mortuum resuscitare. Ergo, multo magis potest Deus facere illud, quod est impossibile per accidens. Sed præterita non fuisse est impossibile per accidens. Accidit enim Sortem non currere, esse impossibile ex hoc, quod præterij. Ergo Deus potest facere quod præterita non fuerint.

2. Præterea. Quicquid Deus facere potuit, potest, cum eius potentia nō minuat. Sed Deus potuit facere, antequam Sortes curreret, quod non curreret. Ergo postquam cucurrit, potest Deus facere, quod non cucurrerit.

3. Præterea, Charitas est maior virtus, quam virginitas. Sed Deus potest reparare charitatem amissam. Ergo & virginitatem. Ergo potest facere quod illa, quæ corrupta fuit, non fuerit corrupta.

Sed contra est quod Hier. dicit. Cum deus omnia possit, nō potest de corrupta facere incorruptam. Ergo eadem ratione nō potest facere de quocunque alio præterito, quod non fuerit.

Respondendo dicendū, quod sicut supra dictum est, sub omnipotentia Dei non cadit aliquid, quod contradictionem implicat: præterita autem non fuisse contradictionem implicat. Sicut enim contradictionem implicat dicere, quod, Sortes sedet, & non sedet: ita quod sederit, & non sederit. Dicere autem quod sederit, est dicere quod

quod sit prateritum Dicere autem quod noscitur, est dicere quod non fuerit. Vnde praterita non fuisse, non subiacet diuinae potentiae. Et hoc est, quod Augustinus dicit contra Faustum. Quisquis ita dicit: Si Deus omnipotens est, faciat, ut quae facta sunt, facta non fuerint: non videt, hoc se dicere. Si Deus omnipotens est, faciat, ut ea, quae vera sunt, eo ipso quod vera sunt, falsa sint. Et Philosophus dicit in sexto & hic, quod hoc solo priuatur Deus, ingeniata facere, quae sunt facta.

Ad primum ergo dicendum, quod licet praterita non fuisse sit impossibile per accidens, si consideretur id, quod est prateritum, id est, cursus Sortis: tamen si consideretur prateritum sub ratione prateriti, ipsum non fuisse est impossibile non solum per se, sed absolute contradictionem implicans. Et sic est magis impossibile, quam mortuum resurgere, quod non implicat contradictionem. Quod dicitur impossibile secundum aliquam potentiam, scilicet naturalem. Talia enim impossibilia diuinae potentiae subduntur.

Ad secundum dicendum, quod sicut Deus, quantum est ad perfectionem diuinae potentiae omnia potest: sed quaedam non subiacet eius potentiae, quia deficiunt a ratione possibilitatis: ita si attendatur immutabilitas diuinae potentiae, quicquid Deus, potuit, potest. Aliqua tamen olim habuerunt rationem possibilitatis, dum erant fienda, quae iam deficiunt a ratione possibilitatis, dum sunt facta. Et sic dicitur Deus ea non posse, qui ea non possunt fieri.

Ad tertium dicendum, quod omnem corruptionem mentis, & corporis Deus auferre potest a muliere corrupta: hoc tamen ab ea remoueri non poterit, quod corrupta non fuerit: sicut etiam ab aliquo peccatore auferre non potest, quod non peccauerit, & quod charitatem non amiserit.

CONCLUSIO est. Praterita non fuisse, implicat contradictionem, ac proinde diuina omnipotentia non subditur. Nihil in hoc articulo explicacione eget, ut in eodem B. Tho. intelligamus. De eo autem, quod docet, est nobis statim futura disputatio.

DISPUTATIO CV.

An Deus facere possit, ut praterita non fuerint.

Duae oppositae sententiae. cap. 1.

Quo pacto in Deo ad prateritum non sit potentia. c. 2.

CAPVT I.

Duae oppositae sententiae.

TRes de hac opinione refert Anton. de Corduba. l. i. q. 55. dubio ult. ego vero duas solū esse existimo, quae potius voce, quam re ipsa secum pugnare videntur: nam quam Antonius tribuit Gabrieli, alio modo, quam ipse refert, est intelligi.


Vasquez in part. 1. Tomus 1.

genda, ut inferius notabimus. Prior igitur opinio est Antiphodensis lib. 1. summa c. 11. quest. 6. & Alexandri 1. part. qu. 2. memb. 5. art. 4. Greg. in 1. dist. 42. qu. 1. artic. 2. imo & Gilberti super Beëthum lib. 1. de Trinit. capit. 9, quam putat Corduba probabiliorem esse, videlicet, nunc esse in Deo potentiam ad prateritum, ut non fuerit: eam vero late probat Gregorius loc. cit. sed quia in bonum sensum explicata, vera est, nec ab opinione S. Th. re ipsa differt, ideo confirmatione illius superfedere statui. Posterior sententia est S. Tho. Caiet. & aliorum Thomistarum in hoc articulo. & 2. cont. Gent. exp. 25. num. 11. & Ferrariensis ibid. Bonau. in 1. dist. 42. q. 3. Capreoli q. 1. art. 3. ad argumenta Greg. contra 7. conclusi. qui asserunt, non esse in Deo potentiam, ut facere possit, prateritum non fuisse: quae sane sententia Patrum testimonio, & rationibus probari solet, quorum aliqua inferius referemus.

CAPVT II.

Quo pacto in Deo ad prateritum non sit potentia.

EGo sane existimo, Doctores praedictos re ipsa contraria non docere, licet verbis secum contendere videantur. Ut igitur eorum opiniones conciliemus, obseruandum est, Dei omnipotentiam in se ipsa ita esse aeternam, & totam simul permanentem, ut nihil illius transcat, quia tamen, quatenus relate dicitur, potentia respicit tempus nostrum secundum differentias prateriti, praesentis, & futuri; ideo de illa enunciamus, posse facere, & non posse facere, quatenus ad tempus nostrum referatur. Prioris ergo sententiae Doctores non senserunt, posse Deum omnipotentia sua rem prateritam, postquam praterita est, spoliare (ut loquitur Caiet.) prateritione sua, hoc est, Deum posse facere, ut postquam res fuit praterita, postea praterita non fuerit: quis enim non videat, hoc esse impossibile, nec diuinae potentiae subesse? Imo praedicti Doctores expresse notarunt, non posse Deum facere, prateritum non fuisse in sensu (ut ipsi dicunt) composito: sed dicunt nunc esse potentiam in Deo, ut res, quae fuit, praterita, non fuerit praterita, si potentia Dei referatur ad rem ipsam secundum se, antequam ponatur fuisse, vel non fuisse. Nam posito semel rem fuisse, nemo dixit, posse Deum facere, non fuisse. In hunc vero sensum loquutos fuisse, Scholasticos allegatos pro priori sententia praefertim Alexandrum loc. cit. ad secundum argumentum, ubi incipit, ad illud vero Augustini, legenti manifeste patebit. Quia igitur potentia Dei in se manet eadem, & comparata cum rebus antequam fuissent, posset facere Deus non fuisse, ideo dixerunt, in Deo esse potentiam ad prateritum, quod hac figura monstratur,



Nnn 2

Sic

Prima opinio.
Antiphod.
Alexand.
Gregorius.
Gilberti.

Secunda
opinio.
S. Thoma.
Caiet.
Ferrar.
Bonauent.
Capreoli.

Opiniones
memoratae
conciliantur.

Vera prioris
opinionis
intelligentia.